



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus XLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

consulamur. Nemo est qui magnus haberi no-
lit, sed quantuscunque sit, nisi coram Domino
sit magnus, magnus esse non potest. Trunci sunt,
qui nos extollunt: dignitas, opes, scientia, qui
postquam morte adempti fuerint, parvi & risu di-
gni, nisi coram Domino simus magni, apparebi-
mus. &c. &c.



MODUS XLIX.

A Benumeratione item, partium ducitur oratio,
quando supponitur aliquid certum, & ad il-
lud evincendum descenditur per divisionem singu-
larium E. g. dicturus Dominica 22. Pentec. super
illud, *cujus hæc imago?* assumeres pro fundamen-
to illud Divi Ambros. lib. 1. officiorum cap. 49.
*Veniamus ad illam diem, & secundum imaginem æ-
stimabimur: & inquisiturus, cuius imago, placitura
esset in illo die, diceres, nec fore illam quam refert
magnum genus, nec illam quæ commendet magnum
robur, nec ullam aliam, qua homines sua opera for-
mant. Restat ergo, ut sit illa imago, imago Dei,
inlita animabus nostris. Similiter ad illa verba.
Amice, ad quid venisti? Dominica 19. Pent. dictu-
rus de fine hominis: diceres non venisse nos in
mundum ut vivamus, nec ut viventes bonis hujus
vitæ fruamur. Igitur ut vitam æternam, Deo ser-
viendo, promereamur.*

In Festo S. Matthæi Apostoli.

*Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis,
& ego reficiam vos. Matth. II.*

Accessus & Propositio. Duo sunt præcipua omnium laborum solatia, finis & præmium, Hinc Div. Chryf. *Quis agonem suscipit, unde palmam non sperat?* Utrumque hodie, laborantibus Christus spondet, quemadmodum utrumque D. Matthæus adeptus. Felices quotquot laboratis, & onerati estis, si à Christo refici merebimini Inquiramus Itaque, quis ille tandem sit? ne frustra operâ consumptâ, serò ingemiscamus.

Confirmatio, constans tali argumentatione, ex loco distributionis,

Nec labori communi mortalium, nec labori, pro fama, dignitate, memoriâ suscepto, neque multo magis labori, quo id agitur, ut desiderijs sæculi indulgeatur, hæc merces convenit. Ergo soli labori pro Deo, propriaque & proximorum salute exantlato.

Primus gradus ac veluti status laborum est communis, quo omnes ad vitæ sustentationem adstringimur, & de quo à Job. 5. dicitur: *Homo nascitur ad laborem* & quamvis in hoc quoque statu non desint ignavi, rationes tamen, quàm alibi sunt. Quis artificum studia, mercatorum curas, colonorum sudores, literatorum vigilias, curialium in-

omnia,

omnia, militum prælia aut ignoret, aut comprehen-
 dat? Planè, *anni nostri, sicut aranea meditantur* Ps.
 89. Gyramur, evisceramur, nullisq; laboribus par-
 cimur. Cum autem quis opus suum maxime perfe-
 cerit, cum laborem consummaverit Eccl. 5. *Sicut*
egressus est nudus, de utero matris suæ, sic revertetur
& nihil auferet secum de labore suo. Nihil, omnino
 nihil. Ubi labor, ibi merces, Terræ laboratum est,
 cum terras excesseris, qui debeat non erit: nisi for-
 te apud Christum, ea ratione cælum lucrari te pos-
 se putes, quâ, stipendium, à Magnate quodam in
 Polonia, exterorum non nemo exegit. Hic enim
 cum videret, annua stipendia, aliis solvi, ut sibi quo-
 que pariter numerarentur petiit: cumque herus
 interrogasset, quo merito id exigeret, respondit:
 Ego hoc anno in aula tua versatus, diligenter ob-
 servavi, quid in gratiam tuam præstare possem, ne-
 que id aliter me consecuturum speravi, atque si ea
 facerem, quæ tui agerent famuli. Hos ego cum vi-
 derem, toto anno in tui gratiam comedentes & bi-
 bentes, meam illis ut operam non segnis junxi, ita
 eorum mercedem mihi quoque tribuendam non
 dubius spero. Sed O boni! regnum cælorum, non
 est cibus & esca de æternitate non luditur: sed ne-
 que deberi potest, tantum præmium, vilibus terre-
 nis que latoribus. Alter status laborum est, veluti
 altior ac sublimior, in quo laboratur, non commu-
 nibus vitæ præsiidiis, sed famæ, honoribus, dignita-
 tibus, meritoria posteritatis, quod ipsum tanta
 contentione agitur, ut suis laboribus, non illiben-
 ter homines immoriantur: illudque Senecæ c. 20.

de brevit. vitæ ingement. *Turpis ille est, qui vivendo lassus, citius quam laborando, inter ipsa officia collapsus est.* Agendum opus, nunquam cessandum dum vita non cessat. Turrianum hic revocem, de quo idem ibidem? an Augustulum? de quo Baron. De Turriano sic habetur, quod post annum 90. vitæ, vocatione ab officiis accepta, componi se in lecto jusserit: & velut exanimem à circumstante familia plangi. Lugebat domus senescionem, quasi mortuum, nec finivit ante tristitiam, quàm laboribus officii, est restitutus. De Augustulo hæc accepimus, oraculo edictum acceperat, *Augusti veste te geris.* Purpuram inde Imperatoriam designari ratus: eandem ambire cæpit, pulsus in exilium, spoliatus deinde bonis omnibus, à spe sua & antequam è Templo ad funus raptus, Augusti cujuspian (famuli gregarii nomen erat) veste obtectus sit. Quis quotidie Turrianos, nisi continua ambitione exerceantur, se deplorantes non videt, quis non novit Augustulos, per suprema vitæ pericula, honores dignitates prensantes. At durissimos labores, gravissima odia, æternas vigiliis parati suscipere posteaquam somnum mortis dormiunt, nihil de tot tantisque rebus, nihil de laborum præmio: inveniunt. Nihil iterum ut primi nihil. *Exibit spiritus eorum, & revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum, Ps. 145.* Alexander Severus, fumo perimi jussisse, honorem mercatorē traditur in *Polit. Chok* hoc adjecto. *Fumo pereat, qui fumos vendit. Fumus omnino quidquid*

hono-

honorem dignitatem, posteritatem vocamus, fumus est, unde & Psaltes in hominum persona. Defecerunt, sicut fumus dies mei Ps 101. fumus cum glomeratur in aëre, saxū & petra, videtur, sed petra, & hoc hæc saxū nimis fluidum est, cito evanescit: sic honores & dignitates, grande aliquid præferunt, sed le vissimè dispareunt. Fumus, sursum tendit, & cum vix aliquid ignis rapuerit, plurimum crassæ secum defert materiæ: idem in ambitiosis patet, qui sursum conantur exiguaque nimium luce, sibi solis illustres, plurimum secum fumi & fætoris trahunt. Amatatur tamen, tam tenebrosus fumus amatatur! & pro eo plurimum laboratur: sed labor totus inanis est: ac si solvitur, illo minuto constat. *Recepisti bona in vita tua* Luc. 16.

Tertius status laborum est, cum ideo suscipiuntur ne aliquid desit qua sæculi hujus voluptatibus indulgeatur, de horum mercede non est quod agamus, cum ab eorum sociis ex inferno nuntiatum sit. Sap. 5 v. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* O dies laboris infelicis! O tempora tanto malo transacta, ad quorum significationem Judithæ 13. *Omnes fatigati erant à vino* inde mors & cædes suprema. Restat igitur. Quartus status laborum, quo detinentur illi qui pro Deo propria, ac proximorum salute, animosè desudant, & corpore quidem terras incolunt, animo Cælos: & quidquid agunt, Christum semper respiciunt, Christo labores suos commendant. Hi sunt, qui in Patientia sua, possident animas suas,

&

& qui veniunt ex magna tribulatione, lotis vestimentis suis in sanguine Agni. Jud. 15. cum fessus Samson profligatis mille hostibus mandibula, orta ex labore siti conficeretur? *Aperuit Dominus Molarem Dentem, in Maxilla Asini, & egressæ sunt, ex eo aquæ, quibus haustis, refocillavit spiritum, & vires refecit;* En quibus Deus parat refocillationem, post laborem, Samsonibus pro Deo pugnantibus & ad se confugientibus sed & aliud Exemplum in Tobia habemus, de quo scriptura Tob. 2. *Contigit autem, ut quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, jactasset se juxta parietem, Quid deinde admirandis solatiis à Deo Domino recreatus, de quibus reliquum historiæ sacræ narrat. Hæc sperare debent qui in proximorum salutis cura, desudant: Deoque se in iis impendunt. Scribit id expertus D. Xaverius in Epistolis. Tanta est vis solatiiorum caelestium, qua Deus impertit his, qui in hac vinea laborant, ut si quod in hac vita est gaudium, hoc mihi unum videatur. Verùm hæc prælibatio tantum gaudiorum illorum est, quæ permittuntur laborantibus pro Christo his verbis; & ego reficiam vos. Hoc enim tunc implebitur, cum laboribus exantillatis servi fideles, intraverint in gaudium Domini sui, & factus fuerit ipse, qui promittit, laborum merces, magna nimis unde & dicit, ego reficiam, non per creaturas sed per me. Videre id licet in exemplo S. Evangelistæ Matthæi, ad quod nos etiam, D. Chrystos? remittit. homil. 75. in Matthæum inquires, *Monstra animam tuam egrotantem Paulo, accede Matthæum, ab ipsis diligenter**

ter audias, quid eum oportet facere, qui laborat propter spem. &c.



MODUS L.

ID, quod sub similitudine, metaphora, Allegoria Parabola, Evangelium aut scriptura tradit, exponitur sensu claro, atque probatur. Exempla tot esse possunt, quot penè leguntur Evangelia. In libertate autem cujusque erit unum aut aliquot sensus prosequi.

PRAXIS.

In communi Virginum.

Acceptis lampadibus non tulerunt oleum.

Matth. 25.

Accessus & Propositio. Et factum fatuarum virginum, & pœnam cognoscimus, superest ut alienis periculis cauti reddamur, nec sinamus lampades nostras extinguere: quòd ut præstari commodè possit, discamus, quid sint lampades, sine oleo.

Confirmatio, per sensum Allegoriæ clarè redditum.

B. Nilus antiquissimum & sacratissimum Ecclesiæ decus lampadem sine oleo; vult haberi, conscientiam sine cultu: unde in parænesi ait; *Pro lucerna, utere in actionibus tuis conscientia: ea enim, & qua*